



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 8. De Purificatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

& iudicium, subiuciendo illud iudicio superioris.

10. Magi admoniti in somnis per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Sic nos poſtquam per pœnitentiam inuenerimus Chriſtum, & conſecuti fuerimus eius gratiam, non debemus in primam viam redire, ſed mutato itinere, alia via tendere in patriam, è qua per peccatum diſceſſeramus. Patria noſtra eſt paradifus, è qua homo diſcedit ſuperbiendo, inordinatas appetitiones ſectando & adharendo rebus terrenis, ad quam reditus non patet, niſi per viam contrariam, nempè humilitatis, pœnitentiæ, contemptus, mundi, & mortificationis carnis.

MEDITATIO VIII.
DE PURIFICATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS:

- I. *Detulerunt puerum in templum, of. Luc. 2.
ferentes ſimul par turturum, vt Deo
preſentaretur.*
- II. *Simeon in vlnas ſuas eum acci-
piens, dixit: Nunc dimittis ſeruum
tuum Domina &c.*
- III. *Anna prophetiſſa vidua vſque ad
annos 84, ieiunijs & obſecrationibus
ſeruiens Deo, omnibus loquebatur.*

B

FIGV

FIGURÆ.

Exo. 29. 1. **M**ANDAVIT DEVS in lege quotidie offerri in holocaustum agniculos immaculatos duos; vnum mane, alterum ad vesperum, ad præsignificandas duas oblationes, quas Christus verus & immaculatus agniculus de seipso facturus erat Patri. Vnam hodie initio suæ vitæ: alteram in fine, in ara crucis pro generis humani redemptione.

1. Reg. 1. 2. Anna Samuelis mater quondam sterilis, cum precibus à Deo impetrasset illum filium, obtulit eum in domo domini, dedicando eum diuino seruitio, & simul vitulum in sacrificium offerendo.

PROPHETIÆ.

Malac. 3 1. **E**cce mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quaritis, & angelus testamenti quem vos vultis.

Pf. 47. 2. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Pf. 97. 3. Notum fecit Dominus salutare suum ante conspectum gentium reuelavit iustitiã suam.

Prou. 10. 4. Desiderium suum iustis dabitur.

DOCV-

DOCUMENTA.

1. **B**legi, non modo nihil incommodauit suae puritati & sanctitati, sed eam magis hoc humilitatis actu illustrauit; exemplumque praclarum reliquit omnibus hominibus. Religiosis & spiritualibus; ne putent sancta mortificandi & humiliandi se consuetudine, bonam eorum existimationem imminui, sed potius augeri. Eiusmodi enim exercitijs virtus ipsa conseruatur.
2. Christus in sua praesentatione voluit sibi offerri par columbarum, quae erat oblatio pauperum; Dominus in omnibus suis actionibus se humiliat, & minor vult videri, quam sit, idque ad comprimendam nostram superbiam, qui semper aspiramus ad altiora, & in omnibus rebus volumus esse singulares, & maiores, quam simus, videri.
3. Simeon magno desiderio aduentum Saluatoris expectauit, non tam pro sua, quam populi totius consolatione, & ideo gratiam obtinuit eum videndi. Tunc desideria nostra, & preces magis sunt meritoriae, & efficaciores ad impetranda a DEO, quae volumus, quo amplius se extendunt ad bona, non tam pro nostra, quam aliena salute impetranda.
4. Dum Euangelista, postquam dixit Simeonem fuisse hominem iustum & timoratum, adiungit spiritum S. in eo fuisse, non obscure indicat, gratiam Spiritus sancti in eorum potissimum cordibus sedem suam figere, qui iustitiam & sanctum Dei timorem conseruant.
5. *Nunc dimittis seruum tuum Domine, inquit Simeon, secundum verbum tuum*

in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Beati, qui non alia de causa optant frui vsura huius vitæ, quam ob gloriam Christi, & salutem proximi. Talibus enim, vt viuere Christus est, sic mori lucrum, quia cū eo tendunt ad perpetuam felicitatem.

6. *Et tuam ipsius animam*, inquit Simeon, ad B. Virginem, *pertransibit gladius doloris* propter ipsum. Tam utilis & salutaris est tribulatio, vt eam Christus omnibus consolationibus & gaudijs; quas sua delecta mater de eo habuit, intermiscuerit. Quare in magno errore versantur, qui omnes afflictiones execrantur, omnesque huius vitæ labores fugiunt, & insectandis voluptatibus, & quiete omnem felicitatem constituunt.

7. Anna prophetissa multis annis in oratione perseverando, digna effecta est, quæ videret Dominum. Sic non arbitramur gratiam aut consolationem aliquam singularem nos a Deo consecuturos, nisi constanter in obsecrationibus perseveremus.

8. Anna frequentando templum, meruit consolari conspectu Saluatoris. Sancta res est, frequentare Ecclesiam: multa enim beneficia spiritualia, & gratias communicare solet Deus in illa, quas non communicat in plateis, & vijs publicis, in quibus homines mente vagari solent, & maiores habere peccandi, quam bene agendi occasiones.

9. Anna prophetissa semper erat in tēplo, seruiens Deo in castitate, in continuis obsecrationibus, & crebris ieiunijs Deus mysteriorum vel coelestium consolationem suarum non reddit participes homines mundanos & carnales, sed qui omnibus huius mundi volupta-

pta-

ptatibus renunciant, carnem suam mortificāt,
& sanctis diuini seruitij officijs se occupant.



MEDITATIO IX.
DE FUGA IN AEGY-
PTVM.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Herodes volens Iesum interficere, multos pueros occidi curauit.* Matt. 2.
- II. *Ioseph nocte cum puero & matre in Aegyptum fugit, ibique haesit, vsque ad obitum Herodis.*
- III. *Quo defuncto monuit denuo Iosephum Angelus, vt rediret in Iudaeam. Sed audito Archelaum ibi regnare, secessit in Nazareth. Vnde Nazareus dictus est.*

FIGVRÆ.

1. **I**acob persecutionem passus ab Esau, fugit, & peregrinatum abiit in Mesopotamiam, donec furor & indignatio fratris sui requiesceret. Gen. 27.
2. **M**oyse, à Pharaone ad cedere quæsitus, fugit in terram Madian. Pharaon timens Hebræos mandauit obstetricibus, vt omnes infantes masculos Hebræorū Exod. 1. mox post partum interficerent.

B 3

3. At